

prævidit merita Petri, & non Iudæ: ergo ut hoc mysterium sit insecructabile, debet dici, quod prædestinatio facta fuerit ante prævisa merita.

Obicitur I. S. Scriptura. & Sancti Patres dicunt propter merita decerni gloriam electis. Resp. dist. ordine intentionis nego executionis in., & exterioræ concedo. II. Decretum intentionum se solo est efficax. Resp. disting. radicaliter concedo proximè nego. III. Vi Decreti intentivi datur gloria gratis. Respondeo, distinguo ex parte actus concedo, ex parte objecti nego. IV. Prædestinatio ante merita est suppositio voluntatem creatam antecedens. Respondeo distinguo. Duratione concedo causalitate, ponendo in voluntate creatâ aliquid necessitas eandem ad suos actus, nego. V. Hæc sententia gignit in electis fœcordiam, & reprobis desperationem: nam quilibet cum Calvino se possit argumentari: *Vel sum prædestinatus, vel non sum? si sum prædestinatus, infallibiliter salvabor, quidquid egero, quid igitur opus magno labore, & studio? si non sum prædestinatus, infallibiliter damnabor, quidquid egero: ad quid ergo bona opera?* Resp. nego sequelam, quia Deus, quos prædestinavit ex parte actus liberaliter, in suo Decreto intentivo implicite, & virtualiter ex parte objecti, & in Decreto executivo formaliter, & explicitè etiam voluit, ut per bona opera mererentur gloriam.

ASSERTIO XV.

Reprobatio positiva facta est propter prævisa demerita. Communissima Theologorum.

Probatur. Osee 13. Perditio tua ex te Israel. Concilium Valentinum sub Benedicto XIII. cap. 3. ait, in damnatione peritorum meritum malum præcedere iustum Dei iudicium. Ratio est quia damnare aliquem sine prævisis demeritis foret contra summam Dei Bonitatem; nec Christus pro omnium salute mori potuisset; ergo.

Obicitur I. Roman. 9. dicitur quædam nondum nati fuissent, aut aliquid boni, aut mali egissent, Jacobi dilexi. Esau autem odio habui. Respondeo S. Paulum loqui de reprobatione negativa, quæ est odium, non positivè, sed negativè, seu minor dilectio, sicut Genes. 29. dicitur; Videns Dominus, quod odio haberetur Lia, hoc est minus diligeretur, quàm Rachel. II. DEUS est supremus Dominus creaturarum, & beatitudo supernaturalis nõ est debita homini: ergo Deus potest hominem sine peccatis reprobare. Respondeo distinguo consequentiam, positivè nego, negativè concedo consequentiam. III. Deus potest hominem annihilare sine culpa: ergo etiam damnare sine culpa. Resp. nego consequ. quia in annihilatione nihil est de crudelitate, sicut est in damnatione hominis sine culpa.

ASSERTIO XVI.

Processiones Divinæ non sunt intellectio, & volitio essentialis, sed actus notionales scilicet Dicitio Verbi, & spiratio activa Spiritus Sancti. Scotus 1. dist. 28. qu. 3. cum suis contra Thomistas.

Probatur. Actio generativa Filii est merè relativa, & propria soli Patri: actio spirativa Spiritus sancti est merè relativa, & propria soli Patri, & Filio: atqui intellectio, & volitio essentialis non sunt relativæ, sed absolutæ, & communes omnibus tribus Sanctissimis personis; ergo intellectio essentialis non est actio generativa Filii, sed Dicitio, & volitio essentialis non est actio productiva Spiritus sancti, sed spiratio activa.

Obicitur I. Dicitio est intellectio. Respondeo, distinguo, formaliter nego, radicaliter concedo. II. Intellectus habet tantum unicum actum. Respondeo, distingo, operativum concedo: ita ut præter illum non possit habere alium productivum nego. III. In creatis intellectio est verbum mentis: ergo etiam in Divinis intellectio erit verbum Divinum. Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia intellectio in creatis producitur à memoria fœcunda, & ab hac realiter distinguitur, non sic est in Divinis. IV. Intellectus Divinus, ut est in Patre, est Principium Filii: ergo intellectio ut in Patre, est productio Filii. Respondeo, nego consequentiam, quia intellectio non est relativa, & intellectus verò in Patre est fœcundus.

ASSERTIO XVII.

Personæ Divinæ formaliter constituuntur, & distinguuntur per proprietates personales relativæ. Scotus 1. dist. 26. & Scotistæ contra Thomistas.

Probatur, ex cap. firmiter de Summa Trinitate dicente. Hac Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, & secundum personales proprietates est discreta. Ratio est,

quia in Divinis omnia absoluta sunt communia tribus Sanctissimis Personis; ergo Personæ Divinæ debent distingui per proprietates personales relativæ, quia hæc non sunt absolutæ, nec communes.

Obicitur I. Quod refertur per relationem, est prius illa: atqui Pater refertur ad Filium per paternitatem; ergo est prior paternitate, adeoque per eandem non constituitur. Resp. dist. maj. in creatis Conc. Lat. in Divinis Neg. Maj. Disparitas est, quia relatio in creatis est accidens in hærens fundamento, nec constituit Personam; in Divinis autem relatio Paternitatis est substantialis, constituit cum essentia Divina Personam Patris, adeoque hæc nequit esse posterior. II. Relationes Divinæ sunt reales: ergo supponunt extrema constituta realiter distincta. Resp. disting. conseq. nisi ipsæmet constituerent Personas, & facerent realiter distinctas Conc. Cont. secus Neg. consequentiam. III. Relatio non terminatur ad suam correlationem, sed ad absolutum; ergo paternitas nequit terminari ad filiationem, sed ad absolutum Filium, & consequenter filius constituitur in esse Personæ per aliquid absolutum. Resp. dist. anteced. in creatis Conc. in Divinis Neg. disparitas est, quia in creatis relationes sunt accidentia, & terminus relationis v. g. homo genitus, est natura prior paternitate & filiatione: in Divinis autem relationes sunt substantiales, & substantiæ, ubi terminus, v. g. Filius Divinus, non est natura prior filiatione, sed per eam constituitur in esse Personæ, & Filii.

ASSERTIO XVIII.

Præter paternitatem, filiationem, & spirationem passivam in Sanctissima Trinitate datur etiam spiratio activa. Scotus 1. d. 2. q. 7. cum communissima Theologorum.

Probatur I. Conc. Lugd. c. fidei, de Summa Trinitate in 6. definit, quod Spiritus sanctus ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus Principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed una spiratione procedat. II. Generatio passiva, in filio coexistit generationem activam in Patre, ergo etiam spiratio passiva in Spiritu Sancto coexistit spirationem activam in Patre, & Filio.

Obicitur I. Sancti Patres non faciunt mentionem de spiratione activa. Resp. dist. explicitam T. implicitam N. II. Si daretur quarta relatio originalis in Divinis, darentur etiam quatuor Personæ. Resp. dist. si quarta relatio constitueret Personam Conc. secus N. spiratio enim activa, cum supponat Patrem, & Filium, in ratione personarum constituit; hinc nequit constitui personam distinctam à Patre, & Filio: quia spiratio activa non est relatio opposita paternitati, & filiationi, ideoque eis identificatur.

ASSERTIO XIX.

Relationes originis formaliter non dicunt perfectionem simpliciter simplicem, Scotus quodlibeto 5. & Scotistæ communiter contra recentiores.

Probatur. Si v. g. Paternitas esset perfectio simpliciter simplex, esset in Patre formaliter perfectio infinita, quæ formaliter non foret in Filio, & e contra. Item plus perfectionis esset formaliter in tribus sanctissimis personis, quàm in una, contra S. August. 7. Trinit. 7. dicentem: in Summa Trinitate tantum est una, quantum res simul. Item v. g. Pater non foret infinitus, quia sibi non identificaret omnem perfectionem: videlicet filiationem etc. Item paternitas esset melior filiatione, cum perfectio simpliciter simplex ex S. Anselmo Mon. c. 15. sit melior ipsa, quàm non ipsa. Atqui: ergo.

Obicitur I. Concilia, & Sancti Patres asserunt relationes originis, esse substantias perfectissimas. Respond. dist. realiter Conc. formaliter Neg. II. Relationes originis, formaliter sunt incomprehensibiles. Resp. dist. ratione suorum terminorum Conc. secus Neg. II. Adorantur. Resp. dist. ut objectum formale, & motivum N. materiale, & terminativum Conc. IV. Sine relationibus originis Deus foret imperfectus. Resp. dist. ideo, quia relationes perfecterent essentiam Divinam neg. ideo, quia essentia Divina non esset secunda Conc. V. Relatio creata dicit perfectionem; ergo multo magis relatio Divina. R. N. C. Disparitas est, quia relatio creata est ens accidentale realiter distinctum ab extremis, habens propriam existentiam, nec est ultimò constitutiva, & distinctiva suppositi: nihil tale habet relatio Divina.

ASSERTIO XX.

Datur in Divinis etiam substantia absolute natura Divina, convenienter, ut præcendat à personalitatibus. D. Subtilis cum suis 3. dist. 4. qu. 2.

Pro.

ASSERTIO XXIII.

Filiatio, & non spiratio activa est ratio formalis prima, & essentialis distinctiva Filii à Spiritu Sancto. Scotus 1. d. 11. qq. 2. Scotistæ contra Thomistas.

Probatur Sanctus Anselmus Episc. de processione Spiritus Sancti c. 1. ait: Si per aliud non essent plures Filii, & Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi, quod alter nascendo, alter procedendo habent esse à Patre. Ratio est, quia Pater in esse Patris constituitur per solam paternitatem: ergo etiam filius in esse filii per solam filiationem. Item filius, etsi non spiraret adhuc esset productus per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem; atqui idem realiter terminus nequit produci duabus productionibus totalibus, & essentialiter diversis; ergo filius adhuc esset realiter personaliter distinctus à Spiritu Sancto, etsi non spiraret.

Obicitur I. Concil. Trid. XI. de personis Divinis ait: hoc solo numero insnuant, quod ad invicem sunt. Resp. id est, quod habent relationes impossibiles II. Juxta S. Anselmum. Omnia in Divinis sunt idem, ubi non obviat Relationis oppositæ. Resp. Filiatio, & spiratio passiva adhuc forent relationes oppositæ, seu impossibiles (sicut Paternitas, & spiratio passiva,) etsi filius non spiraret. III. Eadem persona potest esse generans, & spirans. ergo etiam eadem potest esse genita, & spirata. Resp. neg. conq. quia eadem persona nequit bis produci; potest tamen habere duas potentias productivas.

ASSERTIO XXIV.

Oculus corporeus nequit elevari ad videndum DEUM. Scotus 1. dist. 3. q. 3. & Communis Theologorum.

Probatur I. Concil. Trid. sess. 26. inquit: Doceatur populus, non propter divinam figuram, quasi oculis corporeis conspici possit. S. Cyrillus Hierosol. Catech. 9. Carnis quidem oculis contemplari DEUM est impossibile. II. Nulla potentia potest versari extra suum objectum adæquatam; atqui potentia visiva corporeæ objectum adæquatam, est ens materiale videlicet Lux, Lumen, & Color, non autem DEUS, ergo implicat potentia visivam corpoream videre DEUM.

Obicitur I. Job. c. 19. ait, ipsius oculos fore conspecturos DEUM. Resp. loquitur de DEO, non secundum se, sed de DEO homine conspiciendo in die iudicii universalis. II. Vidi DEUM facie ad faciem, inquit Jacob Gen. 32. Resp. fermo est de visione DEI, vel Angeli representantis DEUM in forma corporea assumpta. III. S. Augustinus ait, DEUM videri posse oculis corporeis, quasi spiritualizatis. Resp. loquitur tantum disputativè, non assertivè, quia contrarium docuit Episc. 3. ad Fortunatum.

ASSERTIO XXV.

Possibilis est species impressa Divinæ essentie. Scotus 2. dist. 3. q. 9. Scotistæ contra Thomistas.

Probatur. Possibilis est species expressa Divinæ essentie: ergo etiam impressa. Probatur antecedens: Visio beata est species expressa Divinæ essentie, cum sit ejus similitudo formalis, juxta S. August. 1. 4. Trinit. c. 17. dicentem. Tuque perfecta erit DEI similitudo, quando perfecta erit DEI visio, juxta illud. 1. Joan. 3. cum apparuerit, similes ei erimus. Ergo.

Obicitur I. Si foret possibilis species impressa, & expressa essentie Divinæ, deberet repræsentare essentiam Divinam secundum omnem perfectionem. Resp. dist. modo infinito, & quantum repræsentabilis est Neg. modo finito, id est, totam quidem, at non totaliter Conc. II. Talis species foret infinita. Resp. dist. entitative Neg. objective Conc. III. Quod perfectius est objectum, eò perfectior debet esse species illius repræsentativa; ergo cum essentia Divina sit infinita entitative, species ejus repræsentativa debet esse infinita entitative. Resp. dist. antec. eò perfectior arithmetico debet esse & c. N. Ant. geometricæ Conc. Ant. & N. Conf. IV. Species impressa contineret virtualiter cognitionem DEI. Resp. dist. tanquam medium cognitum Neg. tanquam ratio cognoscendi Conc. V. Nullum objectum, quod est per suam essentiam intelligibile, repræsentari potest per speciem impressam; atqui DEUS per suam essentiam est intelligibilis: ergo nõ per speciem impressam. Resp. dist. maj. si non possit suspendere concursum suæ intelligibilitatis Conc. maj. si possit suspendere neg. maj. DEUS autem potest suspendere concursum essentie suæ per modum objecti, ne concurrat cum intellectu creato ad suæ essentie Divinæ cognitionem: cum sit objectum voluntarium.

AS.



ASSERTIO XXVI.

Lumen glorie defacto I. necessari requiritur in Beatis ad eliciendam visionem beatam; de potentia tamen absoluta DEI. II. Potest intellectus creatus sine lumine glorie sibi intrinsico elevari ad visionem beatam per solum concursum DEI extrinsecum. Scotus 3. dist. 14. q. 1. & 2. Scotista contra Thomistas quoad secundam partem.

Probatur prima pars ex Conc. Vien. in Clem. de heret. damnate hunc Beguardorum articulum quintum scilicet, naturam intellectualem creatam non indigere lumine glorie ipsam elevante ad videndum DEUM. Ratio est, quia visio beata est supernaturalis: ergo nequit elici a principio mere naturali, quale est intellectus creatus sine lumine glorie.

Probatur secunda pars. Quidquid DEUS potest cum causis secundis, in genere causae efficientis, potest etiam se solo efficere; atqui DEUS cum lumine glorie tanquam causa secunda efficiente producit visionem beatam: ergo hanc etiam poterit sine lumine glorie producere cum intellectu creato.

Obicitur I. contra primam partem. Actus vitalis, qualis est visio beata, debet procedere a principio vitali; sed lumen glorie non est principium vitale: ergo ad visionem beatam non requiritur lumen glorie. Resp. dist. maj. a principio vitali, quod est totaliter vitale, Neg. maj. quod saltem secundum unam causam partialem est vitale, Conc. maj. dist. etiam min. sed lumen glorie non est principium vitale, & est principium totale visionis beate neg. min. partiale C. Min. & neg. conf. II. Contra secundam partem. Si intellectus creatus non haberet in se lumen glorie, foret insufficientis ad eliciendam visionem. Resp. dist. foret insufficientis ab intrinsico, C. ab extrinseco propter concursum DEI specialem, N. III. implicat intellectum intelligere absque virtute intrinsicam intelligendi; sed intellectus creatus ex se caret virtute intelligendi, & videndi DEUM: ergo implicat ipsam posse videre DEUM, absque virtute intrinsicam sibi superaddita. Resp. dist. min. caret virtute proxima, & completa videndi DEUM Conc. min. remota, & incompleta N. min. cum Conf.

ASSERTIO XXVII.

Per potentiam DEI absolutam potest videri essentia Divina sine personalitatibus, & attributis. Scotus 1. dist. 1. q. 2. Scotista contra Thomistas.

Probatur. Essentia Divina communicatur tribus personis Divinis, non sic personalitates: Essentia Patris non terminat unionem hypostaticam, bene vero Personalitas Verbi Divini: Essentia non est principium proximum Filii, & Spiritus Sancti, sed intellectus, & voluntas: ergo etiam essentia poterit videri sine personalitatibus, & attributis: maxime cum formaliter inter se distinguantur: & visio sit extrinseca essentiae, ac attributis, & DEUS liberè moveat ad sui visionem.

Obicitur I. Joan. 14. ait Christus: Qui videt me, videt & Patrem; quia ego in Patre, & Pater in me est: ergo nequit videri una persona sine alia. Resp. Textum loqui de facto, non de possibili. II. Si essentia Divina posset videri sine personalitatibus, idem videretur, & non videretur; atqui hoc nequit admitti: ergo. Resp. dist. sequelam maj. idem videretur, & non videretur secundum diversas formalitates; Conc. seq. maj. secundum eandem formalitatem, Neg. seq. maj. III. Visio intuitiva est rei existentis ut est in se; sed essentia Divina est in tribus sanctissimis personis: ergo intuitivè nequit videri sine ipsis. Resp. dist. maj. secundum omnia, quae realiter includit, Neg. maj. secundum praedicata, quae sunt de ejus ratione formali, Conc. maj. & Conc. min. similiter dist. Conf. IV. essentia debet videri ut fons attributorum Resp. dist. ut fons formaliter emanans attributis, Neg. ut radicaliter continens, Con V. Visio essentiae sine attributis non satiaret intellectum Beati: Respond. dist. satiaret essentiali neg. accidentali, Conc.

ASSERTIO XXVIII.

Beatitudo formalis consistit essentialiter in visione, & fruitione beatifica, principalis tamen in fruitione. Scotus 4. dist. 49. quaest. 3. Scotista contra Thomistas, & recentiores.

Probatur I. Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Matth. 23. Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui. Benedictus XII. in Extravag. Benedictus DEUS, definit, Animas Sanctorum, visione, & fruitione esse verè beatas; & Catech. Rom. in explicatione ultimi articuli Symboli dicit: Beatitudo, quam essentialiter com-

muni nomine licet vocare, in eo sita est, ut DEUM videamus, eius pulchritudine perfruamur &c. ergo. II. Illae operationes essentialiter continent Beatitudinem, quibus DEUS immediatè, & perfectè attingitur in ratione objecti Beatifici; atqui tam per visionem, quam per fruitionem sic attingitur DEUS: ergo. III. Beatitudo est perfecta satietas naturae intellectualis quoad omnes ejus potentias beatificabiles; sed tam secundum intellectum (cujus satietas est visio) quam per voluntatem (cujus satietas est fruitio) est beatificabilis: ergo beatitudo essentialiter consistit in visione, & fruitione DEI. Quod autem beatitudo principalis consistit in fruitione: ratio est, quia fruitio, utpote actus voluntatis, Reginae potentiarum, est visio perfectior, cum nos magis uniat DEO; nam S. Dionysius c. 7. de Angelica Hierarchia dicit: Voluntas sic attingit amatum, sic illi se copulat, unit, & appetit, ut verius sit amans amatum, quam ipse, unum facit cum amante. Fruitio etiam à nobis magis exigitur, & ad ipsam visio ordinatur.

Obicitur I. Contra primam partem: Sanctus P. Augustinus, l. 1. Trinit. c. penult. ait: Visio est tota merces. Resp. visio est tota merces intellectus, non totius hominis. II. Beatitudo est unica, & simplex forma: ergo nequit essentialiter consistere in pluribus actibus. Resp. Neg. ant. quia beatitudo perfecta, & adaequata non est aliquid unum per se, sicut nec potentia beatificabilis est una, sed duplex scilicet intellectus & voluntas. III. Beatitudo objectiva est unica: ergo etiam formalis est unica operatio. Resp. neg. conseq. quia beatitudo objectiva est DEUS utique immultiplicabilis, attamen assequibilis duplici operatione. IV. Beatitudo formalis est conjunctio perfectissima, & ultimata cum objecto beatifico, qualis non est visio beata. Resp. dist. est perfectissima, & ultimata simpliciter, & in omni genere, neg. in suo genere, & quantum ad potentias, conc. V. contra secundam partem. Summa infelicitas damnatorum est poena damni; sed haec est carentia visionis DEI: ergo visio DEI est summa felicitas, & principalis beatitudo. Resp. dist. maj. summa infelicitas est poena damni, ita ut sub poena damni principaliter includatur carentia fruitionis, Conc. maj. ita ut poena damni importet solam carentiam visionis, Neg. maj. dist. etiam min. sed haec poena damni inadaequate sumpta est carentia visionis Conc. min. adaequate sumpta, Neg. min. cum Conf.

Ex II. Libro sententiarum, de Angelis, statu innocentia, peccatis, gratia, justificatione, merito, & legibus.

ASSERTIO XXIX.

Non repugnat dari plures Angelos solo numero differentes, Scotus 2. d. 3. q. 2. cum suis.

Probatur. Concil. Florent. sess. 20. docet: Angelos omnes, ut appellationis unius, sic etiam ejusdem naturae esse inter se, S. Athanasius q. 4. ad Antiochum ait: una, & eadem est essentia Angelorum, sicut etiam una tantum est essentia hominum. Ratio est; quia nulla quidditas creata est essentialiter haec, & singularis sicut essentia Divina; cum qualibet quidditas creata sine contradictione possit intelligi universalis; non sic essentia Divina: ergo etiam essentia Angelica est numero plurificabilis.

Obicitur I. Principium numericae multiplicationis est materia; sed in Angelis non est materia: ergo Angeli nequeunt numero multiplicari. R. D. maj. materia partis N. maj. materia, idest differentia individualis, quae similitudinarie dicitur materia C. maj. & dist. min. Neg. Conf. II. Angelus est forma pura simplex: Resp. D. hoc est sola species continens etiam differentiam individualem, C.

ASSERTIO XXX.

Angeli non sunt in loco per suam operationem. Ita Doctores Seraphicus, & Subtilis, 2. d. 2. q. 6. Nominales & recentiores contra Thomistas.

Probatur I. Angelus existens in loco, ob denegatum à DEO concursum potest cessare ab omni operatione: atqui tunc Angelus adhuc foret formaliter in loco, quia esset formaliter indistans à loco, & tamen non per suam operationem, ut patet: ergo. II. Quia Angelus non est ibi, ubi est ejus operatio transiens; nec est necessariò ibi, ubi vult esse, ut patet in daemone: ergo Angelus non est in loco per operationem transeuntem, aut immanentem.

Obicitur I. Angelus, ut sit in loco, debet hunc tangere; atqui nequit locum tangere contactu mathematico: ergo virtuali, seu per operationem. Respondeo dist. maj. Angelus debet locum tangere, vel contactu entitativo, vel mathematico C. semper mathematico, vel virtuali. Neg. maj. II. Si Angelus per suam substantiam est fundamentaliter in loco: ergo semper erit in loco aequali. Respond. Neg. sequi-

quia Angelus formaliter est in loco, per praesentiam effectivè causatam ab ejus virtute moviva, applicata à voluntate imperante locum ad beneplacitum.

ASSERTIO XXXI.

Angeli juxta suam puram naturam considerari, potuissent peccare in primo instanti suae creationis. Scotus 2. d. 5. qu. 2. cum suis.

Probatur. Angelus in primo instanti suae creationis habuit omnia requisita ad peccandum, scilicet perfectum usum rationis, perfectam libertatem, & concursum DEI paratum: ergo potuit peccare, cum causa non necessariò, tempore sed natura, debeat praecedere suum effectum, ut patet de sole illuminante. Deinde Angelus in primo instanti potuit mereri: ergo etiam peccare, cum tamen plus requiratur ad meritum, quam ad demeritum; Bonum enim ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu.

Obicitur I. Peccatum debet praecedere error in intellectu: atqui Angelus non potuit habere errorem in primo instanti creationis: ergo nec peccatum. Resp. Neg. maj. cum peccatum possit fieri ex sola libertate, & malitia voluntatis. II. Si Angelus peccaret in primo instanti, hoc peccatum impureretur DEO: cum operatio incipiens cum esse rei in se ab agente. Resp. Neg. sequi. & dist. prob. operatio incipiens cum esse rei, inest ei ab agente, in effectibus liberis. Neg. in effectibus naturalibus. Transeat.

ASSERTIO XXXII.

Angeli naturaliter possunt cognoscere secreta cordium. Scotus 2. d. 9. q. 2. cum suis contra Thomistas, & recentiores.

Probatur. Actus interni voluntatis & intellectus, actu existentes, sunt entia naturalia, finita, pertinentia ad ordinem universi sufficienter praesentia, & proportionata intellectui Anglico: ergo ab eodem naturaliter cognosci poterunt. Deinde quilibet Angelus naturaliter intuetur substantiam, & proprietates alterius Angeli, & cur non etiam ejus cogitationes, & volitiones?

Obicitur I. Sacra Scriptura, & Sancti Patres cognitionem secretorum soli DEO adscribunt, R. D. soli DEO tanquam judici, cognitionem secretorum praesentium, praeteritorum, & futurorum in impedibilem, & independentem adscribunt. C. secus Neg. II. Si paterent secreta cordium, nulla posset esse societas. Resp. inter homines pro statu isto non datur illa secretorum intuitio; quia nihil est in intellectu, quod non prius fuit in sensu. In statu verò Patriae, cum beati nihil bonum cogitent, & velint, non est, cur ex cognitione secretorum laedatur societas; in damnatis verò, ubi nullus ordo, nec societas necessaria est.

ASSERTIO XXXIII.

Potuit DEUS Adamum creare in statu naturae purae. Ita Doctores Angelicus, & Subtilis, contra Calvinistas, Lutheranos, Janfenistas, & Bajum.

Probatur I. Quia S. Pius V. Gregor. XIII. Urbanus VIII. & Alexander VII. damnarunt sequentem Baji propositionem 97. Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse à DEO creari, & institui sine justitia originali. II. Quia status naturae purae dicitur tria: pollere facultatibus naturalibus ad operandum expeditis cum concursu naturali DEI ut Authoris naturae. 2. Non esse ordinatum ad finem supernaturalem, nec habere dona supernaturalia, sed tantum ad finem naturalem esse ordinatum. III. Esse immunem à peccato originali; atqui DEUS haec tria potuit facere circa Adamum, cum nequeat asserti implicantia: ergo.

Obicitur. Si Adam in statu naturae purae creatus fuisset mortuus, venisset in caelum, vel in infernum, vel in purgatorium. Resp. neg. quia haec tria sunt condita pro homine ad finem supernaturalem ordinato; sed ipsius anima mansisset in hac terra, & habuisset cognitionem abstractivam DEI, ejusque amorem naturalem.

ASSERTIO XXXIV.

Adam in statu innocentiae prius potuit peccare venialiter quam mortaliter Scotus 2. d. 2. q. 1. cum sua schola contra Thomistas.

Probatur. Gratia sanctificans potest flare cum peccato veniali: ergo etiam justitia originalis: cum haec sit illa praestantior. Item Adam habuit libertatem ad peccandum venialiter, aliàs in evitando veniali non habuisset meritum: ergo potuit peccare venialiter in statu innocentiae. Denique

Proto parentes prius peccarunt venialiter fructum veritatis curiosè aspiciendo, odorando, decerpendo, atrectando &c. quam mortaliter: ergo.

Obicitur I. Cum statu innocentiae nequit flare peccalitas, sed hanc intulisset veniale: ergo. R. dist. maj. peccalitas gravior inferens mortem, Conf. maj. levior neg. maj. & similiter dist. min. neg. conf. II. Peccatum veniale debet deleri per penitentiam; Sed haec repugnat statui innocentiae: ergo. Resp. neg. min. nec enim repugnasset statui innocentiae, si Adam elucisset amorem DEI, vel contritionem perfectam delectivam venialis. III. Adam debuisset peccare ex malitia; hoc est semper mortale: ergo non potuit peccare venialiter. Respond. T. maj. & neg. min. quia verbum otiosum ex malitia prolatum non est mortale. IV. Peccatum mortale est malum gravius morte: ergo repugnat statui innocentiae. Resp. dist. antec. secundum se absolute C. respectivè ad statum innocentiae N.

ASSERTIO XXXV.

Cum solo originali peccato defuncti non patiuntur poenam sensus. Ita Doctores Seraphicus, Angelicus, & Subtilis, etque Communissima.

Probatur: Concil. Florent. ait: peccatum originale, & aduale panis disparibus puniendi esse. Innocentius III. C. maiores, de Bapt. poena originalis peccati esse carentiam visionis DEI, actualis verò peccati poena est gehenna perpetuae cruciatu. Ratio est, quia decedentes cum solo peccato originali non commiserunt peccatum personale; ergo nec merentur poenam sensus, quae soli peccato personali correspondet juxta illud Apoc. 18. quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & lucrum.

Obicitur I. Sacra Scriptura, & Sancti Patres asserunt, post Extremum judicii diem eos, qui non veniunt in caelum, aeterni ignis supplicio puniendos esse. R. loquuntur de adultis, vel si loquantur de parvulis nondum baptizatis, uti loquitur Augustinus Enchir. c. 23. per Ignem aeternum intelligunt tantum poenam damni; quia loquuntur contra haereticos dicentes, parvulos nullam culpam, & poenam habere, uti explicant Doctores Seraphicus, & Subtilis. II. Saltem tales parvuli tristabuntur, quod non intrent in caelum R. N. quia erunt suo statu contenti.

ASSERTIO XXXVI.

Beatissima Virgo MARIA est concepta sine peccato originali. Ita S. Scriptura, Concilia, Sancti Patres, Summi Pontifices, integrae Religiones, Universitates, et Communis fidelium sensus.

Probatur. Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te; Ecclesia celebrat festum Immaculae Conceptionis Beatissimae Virginis MARIAE, & quidem de praecipuo Clementis XI. Summi Pontificis, lato 1708. Bulla Commisit Nobis. Infra in appendice alphabetica. V. Festum videnda. Ratio verò est illud Doctoris Subtilis Enthymema: DEUS potuit Beatissimam Virginem praeservare à peccato originali, cum Adamum, & Evam sine illo creaverit: Deum, ut eam praeservaret; quia est Filia DEI Patris, Mater Filii DEI, Sponsa Spiritus Sancti, Regina Angelorum, & Domina universorum: ergo eandem etiam praeservavit à peccato originali; hoc enim evincit amor DEI in suam Filiam, Matrem, & Sponsam.

Obicitur I. Sacra Scriptura asserit omnes in Adam peccasse. R. omnes in sensu accomodo; excepta privilegiata Beatissima Virgine MARIA; non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est. Escher. 15. cum eadem ratione etiam adversarii Beatissimam Virginem excipiant ab hac locutione universali Jac. 3. in multis offendimus omnes. II. Beatissima Virgo fuit à Christo redempta. Resp. dist. praeservativè, concu- rativè neg.

ASSERTIO XXXVII.

Beatissima Virgo MARIA non habuit debitum proximum contrahendi peccatum originale. Communior Doctorum.

Probatur. I. Beatissima Virgo MARIA non fuit comprehensa in lege, seu pacto facto cum Adamo de transfusione peccati originalis ex illo Escher. 15. non pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est: Nec in illa lege comprehendi debuit: ergo. Probat. anteced. voluntas Matris DEI, Reginae omnium, creaturae nobilissimae non debuit subijci voluntati sui servi, & famuli: ergo Beatissima Virgo MARIA non debuit habere Adamum pro suo capite mortali, etiam habuerit ipsum pro suo capite physico. II. DEUS potuit